

Bibliothèque numérique

medic@

**Briquet, P.. - An, ad exercendas
permultas et varias medicationes,
medicamentorum administratio ad
cutem sufficiat ?**

1827.

***Paris : Excudebat Antonius
Beraud***

Cote : 90975



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?90975x1827x01x03](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?90975x1827x01x03)

3

COMPETITIO AD AGREGATIONEM,

IUSSU REGIS OPTIMI, ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA, ANNO 1823.

AN, AD EXERCENDAS PERMULTAS ET VARIAS
MEDICATIONES, MEDICAMENTORUM ADMINIS-
TRATIO AD CUTEM SUFFICIAT?

THESIS

*Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ
Parisiensi, præsentibus competitionis iudicibus, publicis
competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare
tentabit, die decimo et sexto mensis Maii, anno mille-
simo octingentesimo vicesimo septimo,*


P. BRIQUET,

CELEBERRIMÆ FACULTATIS PARIENSIS DOCTOR, NEC NON ATHENÆI MEDICÆ SOCIUS.

PARISIIS,

EXCUDEBAT ANTONIUS BERAUD,
Viâ dictâ Foin-S.-Jacques, N°. 9.

M. DCCC XXVII.



JUDICES.

Præses : D. DE LENS.

Judices : DD. { CLARION.
COUTANCEAU.
DUMERIL.
GUILBERT.
JADELOT.
ORFILA.
PELLETAN.


Vicem-gerentes: DD. { GAULTIER-CLAUBRY.
RICHARD.

COMPETITORES:

DD. BROGNIART. COTTEREAU. DRONSSART.

**DILECTISSIMIS
PARENTIBUS**

*Gratu pignus amoris
Briquet.*



AN, AD EXERCENDAS PERMULTAS ET VARIAS MEDICATIONES, MEDICAMENTORUM ADMINISTRATIO AD CUTEM SUFFICIAT?

Medicamentū nomine salutamus omnem substantiam, è mineralibus, vegetabilibus, aut animalibus excerptam, quæ, contactu suo cum partibus vivis, mutationes in corpore producere, morbosque depellere valet.

Medicamentum differt ab alimento, substantiis viribus digestivis mutabilibus, composito, quod in clymum convertitur et præcipuè ad alendum prodest. Discrepat quoque à veneno, quod ad evertendam sanitatem vitamque extinguendam tendit.

Attamen medicamentum, hinc alimentis, illinc venenis, ita fit proximum, ut discrimen verum, sæpius proposito quo ministrantur, quam naturā ipsā substantiarum, positum sit. Medicatio apud veteres, methodum in genere curandi significabat Doctus Barbier, permultique medici illo nomine intelligere solent mutationum seriem agentibus therapeuticis in organismo productorum. Schwilgué, virtutem communem cujusdam generis medicamentorum medicationem vocabat. Hanc significationem accipiam.

Hic pauca de anatomia cutis dicamus.

Cutis, membrana in tota corporis superficie extensa, ubique sibi continua, orificiorum naturalium causā, perforata videtur. Duplicem superficiem habet. Altera, libera aere exposita, rugas permultas, folliculorum sebaceorum orificia, aliaque foramina tenuissima, vel pororum speciem exhibet; et altera ima, partibus subjacentibus, tela cellulari, laxa ferè ubique, arcta et densa ad caput et ad lineam corporis mediam, subrubra, submusculosaque ad scrotum, jungitur. Cuticula et dermate constat.

Cuticula quam genus quoddam vernicis sicci dixerim, membranam, tenuissimam, continuam, laceratu facilem conflat, nullo ibi unquam ope,

foramina innumera quæ in eâ inesse supponuntur, sacci verò cæci parvuli, perspicui possunt. Filamentis tenuissimis quorum natura vasculosa nos adhuc fugit, dermati adhærescit: in organica invenitur, perquam lentè aquam bibit; muco et albumine constare videtur.

Derma corio, corpore papillari, et corpore reticuloso constat.

Corium textum est subalbidum, spissum, resistens, partem solidam cutis, et quasi illius subtemen effingens. Plenum illud cavis conicis alveolaribus variæque magnitudinis, in quibus telæ cellularis, vasculis nervisque implexæ, glomuli reperiuntur. Cujus natura telæ cellularis textique febrosi affinis usum aponevrosi involventis præbet. Vi quâdam contractionis, per vitam præditum est.

Corpus papillare reti vasculoso intextum, stratum unicum corio superadditum constituit; papillæ, minimæ prominentiæ conoïformes quæ tantum manuum ad palmam, pedum ad plantam in ordine dispositæ, ad glandem et ad labias sine ullo ordine positæ perspicui possunt. Tumoribus quibusdam dermatis, mollis, maximè cellularis, multis nervis nevrilemmate carentibus, ramusculisque vascularibus innumeris penetratis, constant.

Corpus mucosum, vel reticulare, stratum scilicet telæ cellularis semiliquidæ, cuticulam et derma intermedians. Tenuè papillarum in apice, spissius in earum intervallis, nec foraminibus conspersum, nec reticulatum invenitur. Nulla vasa sanguifera, injectionibus, nullique nervi sectionibus, patefiunt. Sedes illud pigmenti.

Permulta vasa, permultosque nevros, quæ corium trajiciunt, et paucos ramos in eo mittunt, ad ejus superficiem, ad infinitum postremò dividuntur, cutis accipit.

E teguminibus oriuntur, 1°. perspiratio cutanea, quæ in guttulas collecta, sudor, in vapores soluta, transpiratio insensilis, vocatur; 2°. secretio follicularis vel sebacea; quæ prætereà, tum sensationis, tum defensionis organum præbent.

Pluribus modis virtutem suam exercent medicamenta: 1°. vi directâ, 2°. consensu partium, 3°. continuitate et contiguitate, 4°. absorptione, 5°. servitio organorum.

De vi directâ medicamentorum. Medicamenta omnia, quæcumque

sint, primum in loco quo applicantur effectum habent; in illis verò quorum vis est purè directa, mutationes productæ multò magis apparent, quàm in illis quæ per sympathiam agunt: eorum virtus ex impressione quam contactu suo in cute efficiunt, oritur.

Sic tonica, proprietates vitæ excitantia, affluxum sanguinis majorem attrahunt, contractilitatemque fibrarum cutis movent, cujus textus densatur, indeque illà validiore factà suo officio meliùs fungitur. Sic rubificantia, vesicantia, causticaque corpora, suam vim præcipuam directè exercent. Idem fit in emollientibus quæ aquà et mucagine quas continent, primum sicut corpora lenia, deindè inter textorum lamellas se interponendo, cutis irritationem sedant: contrà verò vis directa medicamentorum diureticorum et purgantium debilior, sæpius non perspicitur. Hydrargyrum, affricuum ope administratum, sic quoque se habet.

De visympathicæ. Medicamenta vi sympathicà agunt, cum illorum præcipua virtus, in alià parte quàm in illà quà administrantur, nullà communicatione directà cognita, exercetur. Hæc vis sympathica discernitur, cum nihil in absorptione invenitur quod virtutem medicamentosam, translata explanet, aut cum in statu physiologico partem in quà medicamentum appositum fuerit cum loco quo effectus producuntur, esse consentientem constat. Quam propter sympathiam, maxima ex cute auxilia hauriuntur; illa membrana, sensibilitate exquisitâ prædita, totiùs in superficie corporis diffusa, intimas permultas cum partibus relationes habet. Sic cum pedes frigent caput dolet; sic cutis titillatio, defectum animi, vomitus, aliquando convulsionem, parit. Neminem fugit, colli, brachiorum, pectorisque cutem cum pleurâ, gutture, cum larynge viisque aeris, consentire; cutem omnem cum genitalibus connecti. In exanthematibus et in eruptionibus, convenientia quæ inter cutem et membranam mucosam gastro intestinalem extat omnibus patet. Cum sympathiâ medicamenta agunt, sæpiùs actio localis quædam perturbationem universam præcedit.

Sympathiæ adscribo, vim revulsivam medicamentorum. Substantiâ quamdam partem corporis irritante, sanguis attrahitur, ibique affluxus centrum fit, in quod vires œconomiae confluunt, aliaque organa deserunt, quod revulsionem dicimus. Hæc vis indirecta medicamentorum cuti imprimis aptatur

nam medicamentum abstrahitur, ejus vis temperatur, aut extenditur ita ut ad arbitrium virtutem irritantem dirigatur; præterea phlogosis producta facile sedari potest.

Vis per continuos et contiguos textus agens. Hoc genus actionis duobus prioribus referri potest, à quibus tamen sejungi solet. Constat apud omnes, medicamentorum vim cutis superficie semper non circumscribi, atque ad textus subjacentes, sæpius extendi. Hæc actio medicamentosa organa sat longinqua contingere potest, sive medicamentum combibendi facultate altius penetret, ut cataplasmata, emplastra; sive sympathiâ, ut irritatio orificiorum excretoriorum quæ ad eorum glandulas transmittitur. Quam ad altitudinem descendant illa applicata experimentis non constat. Attamen experientia nos docet quanta sit eorum utilitas; cataplasmata collo, et pectori applicata ad anginas pneumoniasque sanandas, emollientes lotûs in peritonitide, in metritide puerperarum, topica emollientia quibus tumores subcutanei operiuntur, plurimum conferunt. Ad hæc referentur emplastra, theriacâ opio composita, quæ dolores nervosos, vomitus spasmodicos tam mirum in modum sedant. Verumtamen, hæc actio medicamentorum sat circumscripta videtur, viscerorumque in phlegmasiis non sufficere potest.

Vis per organorum servitium agens. Quo nomine appellabat doctus Shwiltgué medicationem per quam medicamentorum vis ad quædam extenditur organa, aliorum medio organorum, quibus priora subjiciuntur. Illud evidenter ad sympathiam spectat. Eo modo cutis erga telam cellularem se habet. Sic agunt emplastra irritantia quæ in cute applicantur, ut telam cellularem, glandulasque lymphaticas phlegmasiâ chronicâ correptas excitent. Facile quilibet senserit gravioris momenti illam medicationem esse ad interiùs quàm ad cutem, innumera propter viscera quæ ibi reperiuntur, multasque partes quibus illa dominantur.

Vis per absorptionem agens. Inter physiologistos adhuc sub judice lis est, an cutis cuticulâ integrâ investita absorbeat, necne. DD. Seguin, Magendie, id negant. Doctissimi autem Haller, Bichat, Cruiskank, id asserunt. Hic non referam argumenta utrinquè data, sed id tantum dicam,

nempè , separando facta plurima in quibus per respirationem absorptio effici potuit , aut in quibus cuticula , emollita , lacerata vel destructa fuit macerationibus , perlongis applicationibus , affrictibusque iteratis , supersunt adhuc quædam facta in quibus , cuticulâ vel integrâ , absorptio facta fuit.

Plura medicamina absorptioni committuntur ; cuticula autem affrictibus lacerata est. Quod genus substantias ministrandi adhibetur 1°. cùm viscera ob statum inflammatorium vim medicamentosam sustinere nequeunt. Sic purgantia , diuretica , cuti applicantur cùm in hydrope ventriculus phlegmasiâ corripitur ; 2°. cùm nullus est modus magis conveniens quo medicamenta præbeantur , ut hydrargirum in lue venereâ quâ corpus contaminatum est. Medicamenta , in pulvere tenuissimo redacta , primùm succo gastrico à Brerâ , Vaccâ-Berlinghièri , Spallanzani , permista erant. Qui contenderunt succum gastricum , salivam , dein liquidos aquosos , albuminosos , tandem adipem , ad excipienda medicamenta meliùs convenire ; attamen recentioribus experimentis DD. Alibert. et Dumeril. constat excipientia esse parvi momenti. Nullus hactenùs concentrationis gradus statuitur ; vulgò excipiens saturatur. Eligendi sunt loci qui cum partibus in quibus agendum est congruant , ut cutis mammarum cum utero , cutis abdominis cum ventriculo , partes infra glandulas sitæ cum illis glandulis.

Cutis primùm detergenda est. Affrictus fieri convenit mane et vespere , manibusque leniter fricantibus.

Hæc methodus effectus maximè diversos producit. Facile etenim intelligitur cuticulam plus minusve absorptioni se opponere , cutem prætereâ non eâdem sensibilitate præditam , nec eodem gradu permeabilem esse : undè fit ut illius methodi usus arctissimos intra terminos circumscribitur.

Cuticulâ verò læsâ , materiæ quæ sub illâ , aut in cute ipsâ deponuntur , mox absorbentur ; sexcenta vasa absorbentia ibi occurrunt. Undè Methodus endermica vel introductio medicamentorum in cutem instituta.

Hæc methodus recentissimè jactata , sequenti modo adhibetur. Cutis vesicanti medicamento , aut in casu urgente aquâ bulliente cuticulâ , exuitur ; cauteria , pustulæ , aut plagæ quibus cægrotus afficeretur proficiunt.

quoque, in casu gravissimo aperire vaginalem tunicam, et in illam medicamenta injicere proposuit quidam. Plaga omni strato coagulabili mundari debet. Partem ad applicandum medicamentum, quæ cum illâ in quâ agendum est congruat, eligere convenit. Imò, doctor Bally animadvertit eò facilius et citius vim exerceri, quò propius huic parti medicamentum inseritur. In pulvere tenuissimo redactum, aut si dolorem maximum movet, adipe, cerato, aut gelatinâ commixtum, corpus ad mediam partem aut ad circumductum plagæ, deponitur. Medicamenta primum vim topicam quæ pruritu, rubore, doloris morsibus acerrimis prænnuntiat, exercent; deindè, aliquot horæ minutis, vel quadrante horæ, aut unâ horâ elapsis, effectus subsequentes apparent. Observationibus jam numerosis, medicamenta intensitate majori, quàm si in ventriculo deposita fuerint, ad curandos morbos valere constat.

Indicatis rationibus quibus in œconomia vim suam exercent medicamenta, nunc exponenda sunt varia medicationum genera quæ ad organa applicari possunt; indèque intelligemus an topica sufficiant, necne.

Medicatio tonica. In eâ medicatio tonica propriè dicta, medicatio astringens, medicatio excitans, medicatio rubificans, medicatio vesicans, medicatio destruens, includuntur.

Medicatio tonica, propriè dicta... Localis. Tonica medicamenta, maximâ virtute ad corroborandos textus in quibus applicantur, prædita sunt. Cutis densior, firmitior, calidior, majoreque sanguinis copiâ penetrata, perspicitur. Illa sunt tanninus, cortices quercûs roboris, æsculi hypocastani, cinchonæ, et plantæ aromaticæ. Quæ in pulverem redacta et in saccis inclusa ad tumores vulgò frigidos appellatos, ad partes laxiores applicantur, sed cum parvâ utilitate; nam minima pulveris copia cutem penetrat. Illæ substantiæ in aquâ decoctæ, alcool è vino extractum, vinum rubrum, aromaticum, folia juglandis regiæ, acetas plumbi, valentiùs agunt, nam copiosior medicamenti dosis in cutem introducit. Sic in ædemate quod turgas, morbosque in quibus artus diù in apparatu contenti, motu caruerunt, sequitur, multum conferunt. Affrictus sicci, aromatici aut panno laneo dati, in atrophîâ, in rhumatismo plurimum valent. Non dicere audeam topica huic medicationi sufficere.

Medicatio tonica universalis. Affricus universales, decubitus super lectum aromaticis plantis constratum, in diathesi scrophuloso prosunt. Balnea frigida notantia è 12°. ad 20, Balnea maritima, quæ levem horrorem, refrigerationis sensum, dolores in artubus, sanguisque intus congestionem, primùm pariunt. Dein aliquot horis elapsis, cutis calida, rubra, sudora fit, sensumque alacritatis in toto corpore percipitur. Balnea arenarum, et vinacearum. Insolatio; ea sunt tonica universalia quæ in diathesi scrophuloso, in habitu debili, in anasarcâ plurimùm conferunt. Cum non aliùs hæc medicamenta penetrent, nisi longo post tempore, in scorbuto, in scrophulis ipsis, in chlorosi, non sola adhibentur; ergò non sufficiunt. Nullis observatis nobis indicatum est quantum prodesse possint medicamenta tonica, viâ affricuum administrata. Scimus illa vi maximè variâ agere.

Methodo endermicâ sulfas kininæ datum fuit, et febres intermittentes sanatas, accessusque subito cohibitos fuisse constat; sed de aliis pauca nobis sunt adhuc nota.

Medicatio astringens. Medicamenta sunt: glacies, aqua frigida notans è 0°. ad 10°; quæ, in corporibus validis applicatæ, dolorem mordacem et ærem, quoddam astrictionis genus quod in partibus imis rursum producit, excitant; indè effectus astringentes pendent.

Aqua aluminosa, et alumen quæ sensum astrictionis accerrimum movent, cum in labiis applicantur, et effusiones sanguinis cohibent.

Acetas plumbicus qui eosdem effectus producit; post illius applicationem, cutis sicca rugisque exarata apparet.

Acidum sulfuricum, aqua dicta è Rabel, solutum sulfatum ferri, zinci, cupri, eodem modo agunt.

Ad ecclymoma resolvenda, ad fluxus sanguinis è naribus, ex utero post partum, etc., cohibendos multum proficiunt; attamen non semper sufficiunt quandoquidem ad abtumenta, ad injectiones aliquandò recurrendum est.

Medicatio excitans vel stimulans, hac medicatione textus excitantur eorum sensus acriores, motus celeriores, secretionisque actuosiores fiunt.

Medicamenta hujus ordinis sunt: fluidus electricus, qui per balnea, per

*

scintillas, per commotionem, per electricitatem profluentem, administratur, irritationemque aut sensibilitatis excitationem, in parte in quam mittitur, producit.

Balneacalida, notantia 30° ad thermometrum, et supra, quæ calorem acrem et universalem, accelerationem pulsum arteriarum, anhelationem, corporis tumefactionem, sudorem copiosum, pariunt. Quapropter ut restituantur, eruptiones cutaneæ, variolæ, morbilli, scarlatina suppressa, ut excitentur illæ eruptiones languidæ propter ægroti debilitatem, multum conferunt.

Sudatorium siccum, quod totum corpus rubefacit, molem illius auget pulsum motus, sudorisque exhalationem excitat.

Sudatorium humidum, quod promptiores, debiliores verò eosdem effectus parit, sed quidus addenda est virtus vaporis, quæ est magni momenti, relaxando, et emolliendo cutem. Rhumatismi, affectiones herpeticæ, paralysis, ex his balneis, maximum levamen accipiunt.

Succi concreti, et fæctentes, sagapenum, gummi ammoniacum, galbanum, gummi opopanax, per affricus, aut emplastra administrati, alcoholata aromatica, quæ sæpè vim debilem, in cute, virtutem vero majorem in organis exercent.

Medicamenta, quæ potassii, sodii, ferri, zinei, antimonii, manganisi, cupri, plumbi, ope oxidorum aut salium parantur; sulfereta, hydrogenumque sulfuratum, nicotiana tabacum, plumbago Europæa aliæque substantiæ, quæ contra scabiem, tineam et herpes tam prosperè sola adhibentur per emplastra, lotus aut affricus. Verumtamen ad herpes sanandos eis quædam medicamenta interna medici jungere solent, illa non sufficere arbitrati.

Hydrargyrum ejusque composita, quæ per frictiones administrata ad luem veneream delendam, valent, eamque sanare sola possunt.

E precedentibus concludendum est, maxima auxilia è topicis excitantibus hauriri posse, sed non omnibus casibus sufficere.

Medicatio rubefaciens. Illa medicatio ad ruborem in cute cohibendum, tendit.

Medicamenta, quæ ad illum ordinem pertinent, sunt: calor objectivus ope lentium vitrearum in cutem immissus, aqua calida, acidum hydrochloricum,

acidum aceticum concentratum, ammoniacum, etheres, hellebori, ranunculæ, synapis nigra, daphne mezereon, daphne gnidium, meloe vesicatorius, etc. Hæ omnes substantiæ affluxum sanguinis in parte quâ applicantur, provocant; vires vitales coerunt, revulsionemque producunt. Sæpissimè eis solis utimur ut irritationes è loco suo moveantur, ut quidam morbi, sicut podagra, rhumatismus ad primam sedem revocentur. Sæpissimè verò cum aliis medicamentis simul adhibentur, ideòque non sufficere videntur. Si autem lata in superficie revulsio fieri debeat, magnaue fluidorum copia sit amittenda, jam non in cute agi potest doloris causâ qui ex tantâ irritatione oriretur, febremque suscicaret; cæterùm nulla revellentibus medicamentis obtineri posset in cute fluidi, exhalatio.

Medicatio vesicans, medicamenta vesicantia, dolorem acrem, calorem, ruborem vividum affluxumque sanguinis, deinde seri exhalationem pariunt. Ea sunt aqua bulliens, ammonium, sinapis nigra, renunculæ meloe, vesicatorius, etc.

Hic medicamenta, cuti applicata, triumphum, ut ità dicam, agunt; nam illa corpora sunt per excellentiam revellentia.

In eorum usu distinguendus est effectus primitivus, ab effectu universali aut secundario. In effectu primitivo, irritatio localis vel topica producit quâ inflammationes aliæ minuuntur, aut obscurantur. Ad hunc effectum gignendum, sæpissimè sola vesicantiâ suffecerunt, herpes, erysipelates, suppurationes suppressæ, ad locum primum revocata fuerunt. In effectu secundario videmus vesicantiâ excitationem universalem febremque movere; ille effectus aliquando utilis, verbi gratiâ, ad excitandas vires fractas, ad stuporem depellendum, permultis à medicis reformidatur, et apud illos pro maximo vesicantium incommodo, habetur.

Vesicantibus utimur, ad provocandam febrem, ad excitandos tumores phlegmasiâ chronicâ laborantes, musculos paralyti correptos; ad producendas et augendas inflammationes; ad evertendas congestiones; ad obscurandos dolores nervosos, colicâs, vomitus nervosos; ad hemorrhagias cohibendas, etc. Opusculum doctissimi Barthez consulendum est de loco et tempore quibus applicari debeant vesicantia. In genere eligendus est locus qui consentiat cum parte in quâ agere velis, eligenda est quoque pars cutis majori sensi-

bilitate prædita, ut pars interna artuum; deinde, initio fluxionis procul ab ægrâ parte applicetur vesicans, propè autem, cum omnem suam intensitatem attigerit fluxio.

Huic medicationi sufficiunt topica.

Medicatio destruens organa, medicamentis causticis producitur.

Distinguiamus; 1°. cauterium actuale, ignem scilicet, aut moxâ, aut lente vitreâ emissum; 2°. cauterium potentiale, aut substantias chimiques, quales kali vulgo dictum, (pierre à cautère), nitratem argenteum, deuto chloruretum subii, nitratem hydrargyri, deuto chloruretum hydrargyri, acida concentrata, acidum arseniosum, pulveres dictos è Rousselot et du frère Cosme, etc.

Illæ substantiæ ad venena virus appellata destruenda, ac centra irritationis producenda, ad inflammationem in parte quâdam detinendam, et ad cohibendos gangrenarum quarundam progressus, etc. prosunt, et ad exequendam methodum causticam sufficere possunt.

Medicatio emolliens. Hujus ordinis medicamenta sunt: aqua tepida, gummi, mucagines, ex altheâ officinali, malveâ officinali, è seminibus lini usitatissimi extracti, acida levia è vegetabilibus elicita; ut acidum citricum, ceticum, etc., balneorum notantium 26 aut 27°. potuum, lotionum, unctionum, cataplasmatum ope, administrata.

In phlegmasiis circumscriptis, cutis, partiumque subcutanearum, ferè sola adhibentur; quis autem dicere possit quousque illa sola topica convellant; nempè solent medici cum inflammatio gravior se ostendit ad potus emollientes, ad clysteria recurrere; attamen à priori affirmari potest hæc medicamenta non sufficere in phlegmasiis viscerum; nam si is quâ ægrotus cruciatur, non balneis semper sedatur: præterea membranis internis contactu cujusdam liquidi opus est.

Medicatio analeptica. Permulta de balneis lacte, gelatina, jusculo carniū confectis dicta sunt, nullis verò experimentis certis substantias illas absorptas fuisse constat. Deinde nemini comprobatum est illas in chylum conversas fuisse: indè fit ut nullius effectûs sint analeptica topica.

Medicationes propriæ.

Medicatio antispasmodica. In proprietatibus vitalibus cerebri, systematicque nervosi dirigitur. Medicamenta antispasmodica, hactenus in cute applicata, sunt: aqua frigida, opium, castoreum moschum, camphora, crocus sativus, oleum animale; ope balneorum, emplastrorum, affricuum, administrantur.

Illis medicamentis, dolores nervosi, motus convulsivi, aliaque nervosa symptomata, sæpè sedata fuerunt. Nemo nescit quæ sit balneorum frigidorum virtus, ad temperandum calorem quarundam februm, et ad comprimendos motus convulsivos: virtus emplastrorum sedantium omnibus est nota. Ex observatis D. D. Brera, Vacca-Berlinghieri et Chrestien, constat, frictiones cum medicamentis antispasmodicis, optimos effectus produxisse; attamen hujus medici observata non sunt tam accurata ut judicium quoddam firmare queant: id tantum scimus, varios nempe sæpè esse effectus.

Quod si endermica adhibeatur methodus, certiores erunt effectus: sic perfacilè cum grani acetatis morphinæ quartâ parte sedationem obtinemus; eodem medicamento, tussis et dolor pectoris, in catharris chronicis et in phthiside subito minuta fuerunt; accidentia narcotismi producta fuerunt. Indè fit ut ferè comprobatum videtur medicationem sedantem topicis obtineri posse, sed non asserere audeam illa medicamenta in cute applicata sufficere.

Medicatio emetica. Methodo endermicâ administratus fuit tartras antimonii et potassæ; nulli effectus, nisi dolor acer, irritatioque partis contactæ, apparuerunt.

Medicatio purgans. A DD. Brera, Chrestien, Alibert, scammonium, rheum, jalappa, in cute administratæ sunt, productique fuerunt effectus purgantes; sed methodo endermicâ administratio purgantium se certiore patefecit.

Medicatio diuretica Digitalis purpureæ aut scillæ maritimæ, tinctura, affricuum ope administrata in cute abdominis copiosum fluxum urinarum

post aliquot diebus semper producit , et pro optimâ ratione diureticâ haberi potest. Methodo endermicâ non administranda sunt illa medicamenta nam nimium cutem irritant.

Cæterum, methodo endermicâ systema cerebrospinale strychnina excitatum fuit. Frictionum ope , glandula thyroïdea, bronchocele affecta, iode, vesica et genitalia cantharidibus irritata fuerunt.

Sic perpensis medicationibus topicis , concludam , administrationem medicamentorum ad cutem , ad exercendas permultas et varias medicationes non sufficere.

FINIS.

ERRATA :

Pagi 6 , lin. 23 , *loco nevros* , *lege* : nervos. Pag. 8 , lin. 18 , *loco viscerorumque* , *lege* : viscerum.